



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput I. Moralitatis descriptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

minio voluntatis in omnes actus perfectè voluntarios, foret, quia ad dominium voluntatis in actus suos, elicitos vel imperatos, necessa-

ria foret libertas electionis, seu indifferentie. At ista non requiritur, ut pluribus ostensum est cap. 3. & seqq. Nihil igitur obstat.

LIBER TERTIUS.

Amor Moralis.

Moralitas omnis ex amore petitur, uti proximè videbitur. Amoris proinde moralitas, morum omnium, seu actuum omnium humanorum moralitatem, seu bonitatem malitiamque complectitur. Enimverò quid moralitas est, nisi liberi actus ad regulam suam ordinatio, vel inordinatio? Quamnam verò universalis est actuum omnium liberorum regula, nisi lex aeterna, quæ regularum est regula, à qua ceteræ regulæ habent, & sine qua non habent vim regulandi? Lex porro aeterna per sacram nobis Scripturam proponitur, per rationemque & conscientiam nobis applicatur. *Non præcipit autem Scriptura, nisi charitatem, nec culpam nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum, ut Augustinus dicit l. 3. doctr. christ. c. 10. Regula proinde amoris, morum omnium bonorum malorumque, regula est. Quisquis igitur mores vult componere, amorem suum debet ordinare. Ille enim iuste sanctèque vivit, qui ordinem servat in dilectione, ne aliquid diligit, quod non sit diligendum, aut non diligit, quod diligendum est, aut amplius diligit, quod minus diligendum est, aut aequè diligit, quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius, quod aequè diligi debet.* Card. Bona princip. vit. christ. §. 38.

CAPUT I.

Moralitatis descriptio.

IDE bonis malisque moribus tractaturi, à sterilibus abstinebimus quaestionibus, quibus plerique Moralium tractatores aded paginas implent, ut non doceant vivere, sed disputare, potiusque tradant principia sterilis Metaphysicæ, quam vitæ christianæ. Quod ut caveamus, solas illas explicabimus difficultates, quæ prodesse possunt ad Christiani hominis institutionem, ad cupiditatis destructionem, ad charitatis ædificationem. Hunc in finem, ante omnia scire operæ pretium est, quid sit amor, seu actus moralis.

2 Actus itaque moralis, nihil aliud est, nisi actus liber, cum ordine ad regulas morum. Ut enim S. Thomas ait 1. 2. q. 18. a. 5. dicuntur *aliqui actus morales, secundum quod sunt à ratione*, id est, secundum ordinem ad regulas rationis. Quibus si actus sit conformis, est moraliter bonus; si difformis, est moraliter malus. Moralitas proinde nihil aliud est,

nisi liberi actus ordo ad rectæ rationis regulas, maximè ad legem Dei aeternam, quæ (ut dixi ante caput primum) regularum regula est. Quam ob causam, sicut actus malus, seu peccatum ab Augustino & Doctoribus passim, definitur: *dictum, factum vel concupitum contra legem Dei aeternam*, id est, actus legi Dei aeternæ difformis; sic actus bonus, ex adverso, benè definitur: *dictum, factum vel concupitum secundum legem Dei aeternam*, seu actus isti legi conformis. Per consequens, actus moralis in genere, rectè definitur: *actus liber, dicens ordinem ad legem Dei aeternam.*

Actus (inquam) liber. Quia, ut S. Thomas ait a. 9. actus voluntatis, si non procedat à ratione deliberata, propriè loquendo moralis non est. Lex quippe aeterna, ceteraque rationis regula, libertatem in operante supponunt. Nec enim libertate destitutus præscribuntur. Ideò & nos de libertate egimus, priusquam de moralitate.

CAPUT II.

Tametsi alii sint affectus in homine, omnes tamen ex amore velut fonte procedunt. Et ideò omnis moralitas ceterorum affectuum, actuumque, ex amoris moralitate petitur, sive ex ordinatione vel inordinatione ipsius ad legem aeternam.

Veritatem hanc perspicuè tradit Augustinus epist. 54. dicens: *Non faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores.* Quod si verum est de bonis malisque moribus, verum est & de indifferentibus, siqui dentur; si enim non faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores; similiter non faciunt mores indifferentes, nisi indifferentes amores. Quia, ut Augustinus prosequitur, *mores nostri, non ex eo quod quisquam novit, sed ex eo quod quisquam diligit, dijudicari solent.* Et sicut ex objecto seu specie, boni vel mali sunt, dum amor (ex quo procedunt) ex objecto seu specie bonus vel malus est; sic ex objecto seu specie indifferentes sunt, dum amor (ex quo procedunt) ex objecto seu specie indifferens est.

Enimverò omnis moralitas actuum externorum petitur formaliter ex actibus internis, juxta illud Psal. 44. *Omnis gloria Filia Regis ab intus.* Omnis verò moralitas actuum internorum vel formaliter, vel formaliter petitur ex

MORA-